

atque in argumentum rei adducit Bondincomacum , oppidum flumini propinquum . Athesis , qui & ipse plurifariam scissus Polesinum non unam facit , ex Tridentinis montibus lapsus Veronam mediam interfecat ; inde infra Leniacum ad Castagnarium divisus , pars illa , quæ vicum perstringit , ad dextram flectens , Tartaro ex suis stagnis emerfo occurrit : qui una mixti non multum procedunt , quum alteram Athesis partem ad Maloperam majore alveo abruptam assequuntur : atque ita uno ex pluribus fluminibus facto , Rodigianam Polesinum a tergo claudunt : postremo in stagna dilapsa , prorsus fluminum nomen amittunt . Athesi vero paululum supra Marchianam turrim in duas partes scisso , dexter amnis Lendenariam Rodigiumque perfluens , priusquam ad Caput aggeris sit ventum , cognatis aquis , quasi in gratiam reversus , se placide insinuat : hic mixto alveo per stagna & paludes decurrens , ubi locum quem *Turrim novam* vocant , attigit , novissime divisus , duobus ostiis in mare evolvitur : quorum dextrum *Fossiones* vocant ; lævum vero , Brundulum . Athesis trifariam , ut supra ostendimus , divisus , duplicem Polesinum facit : ultra Rodigianas aquas *vetus* dicitur ; citra vero , *recens* .

Hæc itaque fluviorum divortia & stagna , quæ passim interjacent , Venetas expeditiones longe difficiliores omnino factura credebantur , quum neque pedibus vadari loca possent , neque ob aquarum tenuitatem ubique navigari . Primum itaque omnium Severinati Lauretanoque legato placuit , circa Boariam non longe a Leniaco lembos plerosque in Tartari fluminis stagna traduci ; inde , tribus peditum cohortibus , quibus Andreas Parmensis & Thomas Himulanus præerant , in illos impositis , ad locum quem *Crucellam* vocant , primo , mox in Mellarianos fines transmitti . Pridie Calendas Majas sub lucem Venetus miles in hostico confedit . Huc pauci ex iis qui Mellariæ præsidio erant , & Franciscus Siccus ex Hostilia cum modico equitatu sub primum appulsum affuere , levique injecto certamine , cesserunt . Nocte ,